

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertatio Philologica Qua Al Tehî Tsadik Harbeh Ve-'al Tirsha' Harbeh Sive Nimium Iustitiae Et Improbitalis Salomonis, Coheleth. VII. 16. 17. ...

**Clauswitz, Benedikt Gottlieb
Keyselitz, Gottlieb**

Lipsiae, 1721

VD18 11528834

§. IV.

[urn:nbn:de:bsz:31-130295](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130295)

Num vero ea, quæ ad has paræneses spectant, v. 18. finienda, an cum Mercero & Seb. Schmidio usque ad v. 21. sint extendenda, antequam de genuino sensu v. 16. & 17. constiterit, vix recte judicare licebit. Quicquid vero sit de Schmidii sententia, subscribere tamen non possumus connexioni quam Geierus facit, dum v. 20. initium novæ materiæ fieri putat de prudente maledictorum dislimulatione & v. 20. & 21. ita connectit: *quandoquidem nemo hominum non peccat, idcirco neque tu omnibus statim offensis locum da.* Particula enim *¶* ordinarie non ponit principium thesæos consequentis, sed vel rationem reddit thesæos antecedentis, vel plane non habet significatum causalem. Neque *¶* & *¶* sibi ita respondent, ut *¶* incipiat conclusarium ex axiomate antecedente deductum, ubi conclusio similis argumenti nondum præcesit. Mercerus & Schmidius v. 19. & 20. ad nostrum argumentum proxime referunt. Mercerus quidem ita: *Ne severius agas cum aliis, ut immodica ab illis exigas, sed ἐπιεικέως & moderatione utaris. Nec rursus impietatem fove, & impios defende legibus in totum non utens.* Jam per parenthesin secundum Mercerum Ecclesiastes sapientiæ laudem exponit, qua quis possit mediam viam tenere, quia sapientia, quæ est ipsissimus domini timor, summum robur tribuat homini ad vincendum extrema. Seb. Schmidius hanc facit connexionem: *Talis sapientia quæ in timore Dei consistit, de quo verbis ultimis versus præcedentis actum fuerat, valida est in omnibus adversis sapienti, h. e. timentis Deum.* Ideo merito dixi timentem Dei evadere omnia ista mala & adversa. Ulterius de nexu v. 20. ita pergit: *Quemadmodum præcedente versu utilitatem timoris Dei inculcavit, quo quis se non nimis justum coram Deo, sed peccatorem & in adversis non innocentem agnoscat, sic hoc versu necessitatem ejus etiam ostendit inde oriundam quod nemo hominum in terra plane justus sit, qui non peccet adeoque ab adversis tanquam innocens tutus sit, ut frustra*
homo

homo impatiens in adversis sibi nimiam justitiam & innocentiam imaginetur. Videntur autem Mercerus & Schmidius versus hos eum nostris versibus ita conjunxisse, quod encomium sapientiæ in genere interjectum abruptum nimis inter v. 18 & 21. videretur: quod v. 20. per כ conjunctionis priori rationem sistere præcedentis versus videretur, quam tamen sensu satis commodo v. 20 non exhibeat: denique quod v. 20. parænesi versus 16. subordinari posset. Ast primum quidem insolitum non est Salomoni inter alia argumenta in encomium sapientiæ abrupta etiam oratione excurrere, ut patet Cap VII. II. VIII. I. IX. 13. X. 10. Porro infuetum est חכמה hanc sapientiam vertere, ut vel timor Dei præcise, de quo in præcedentibus sermo fuit, vel præcise studium quo quis inter lenitatem nimiam & rigorem nimium medium servat, designetur; siquidem חכמה etiam cum ה demonstrat alibi apud Salomonem in genere sapientiam notat. Cap. I. 13. II. 3. 21. VII. 12. 23. ut non præcise ad præcedentia restringatur. Ea vero quæ hoc loco de sapientia prædicantur, de sapientia in genere apud ipsum Salomonem nostram dicuntur Cap. IX. 18. Prov. XXI. 22. XXIV. 5. Denique si v. 20. rationem argumenti v. 16. & 17. propositi exhibere deberet, rationem non satis dilucide utriusque paræneseos redderet; quod si vero ad priorem tantum pertinet, subordinatio remotior & obscurior est. Non igitur, salvis tamen aliorum iudiciis, ultra v. 8. quæ ad argumentum nostrum pertinent, quaerenda videntur. Tum vero v. 19. & 20. forte ita cohærent, sapientiæ studendum esse ut tutus aliquis sit, eam enim naturæ nostræ conditionem esse, ut multis nos peccatis & per ea periculis exponat.

§. V.

In ipso autem textu occurrit primum particula **כ** qua constructa cum futuro utuntur Hebræi, quando voluntatem, qua aliquid fieri nolumus, significamus. Fit hoc